

Pierij Val. Equus.

P R I M V M verò omnium equi hieroglyphicum est, belli signum esse, clarissimo Virgilij testimonio, dicentis,
*Bello armantur equi, bellum hæc armen-
 ta minantur.*



BELLVM.



Et duelliam equorum prolem Lucretius appellat. Idem hoc intellexisse Ægyptios didicimus ex Plutarcho, quod & in Leone tetigimus: Horum quippe post obitum apparuisse Osiridi, quem multarum rerum usum edocuerit, præcipuèq; quod animal bello vtilius esset sciscitanti, equum ei negotio maximè commodum, responderit. Cumq; Osiris Leonè præstare arbitraretur, respondiisse Horum: Possit quidem eum auxilio esse, verùm vbi semel fugam arripuisset, irreuocabilem abire, cum alioqui bellatori necesse esset nonnunquam cedere, nonnunquam ex inclinata iam acie rursus hostes aggredi, proq; loco & tempore Fortunæ sese imperiis accommodare: idcircoq; equum omnibus his officiis omnino magis officiosum esse. vnde Xenophon tertio de Græcorum reditu: Vna, ait, equites re præstât, quod in fuga certius est illis sub sidium. Aristoteles Ethicis, virtutem in equo eam præcipuè laudat, qua sit ad currendum portandumq; hominem idoneus, & ad inuadendū expectandumq; hostem minimè formidolosus. Galenus de Partibus, præualidum ait animal & generosum, cum ἰσχυρόν dicit, μὴ τε ἀθρομόν. Hinc illud apud Maronem,
Generosus pullus in aruis.

P V G N A C I T A S.

N Eq; temerè Vespas ἰερογλυφικῶς ex equino cadauere significari tradiderunt Ægyptij: imò non temerè esse dixerunt, quòd ex corrupto eius cadauere vespæ progeneretur. Hoc enim tantum apud Horum super equo reperias, & peruulgatus apud omnes versus fertur:

ἰσχωροὶ μὲν ὀφικῶν γένεσις: ταυροὶ δὲ μελισσῶν.

Nam culices ab equi, sed apes ab origine tauri.

Diligentes enim rerum naturalium obseruatores ex bouillo occipitis cerebro apes gigni tradidere: ex asini cerebro crabrones, vti ex equo vespas, atq; ex humano cadauere serpentem. Non tamen hîc simpliciter vespæ intelligendum, sed quod per vespam identidem soliti essent significare: per cuius hieroglyphicum pugnacitatem & infestum aduersus hostes ingenium ostendebant, de qua inter insecta loco suo differuimus.

VESPÆ.



C E L E R I T A S.

A D hæc celeritatis idiciu est equus: quodq; apud Lucretiū Fortis equi vis legitur, Marcellus celeris exponit: eoq; spectare volunt Virgilianū illud,
Quidnam egregium si femina forti Fidis equo?
 vbi Arruns, Camillam equi pernitate fretam, non virtute sua strenuā inculcat. Multa verò inuenias apud rerum scriptores super equorum pernitate, sed id ego tantum memorabo, quòd Alanis à Probo Imper. deuictis, equus in præda repertus est, qui, vt captiui attestabantur, centum ad diem passuū millia decurreret, perq; octo vel decē dies vigore minimè fracto perduraret. Sed enim eam
 in mi